

# Les Philosophes Belges

## Textes et Etudes

Collection publiée par l'Institut supérieur de Philosophie de l'Université de Louvain  
sous la direction de Maurice De Wulf

TOME XIV

### Le Quodlibet XV et trois Questions ordinaires de Godefroid de Fontaines

(TEXTE INÉDIT)

PAR

Dom Odon LOTTIN, O. S. B.

ET

### Étude sur les manuscrits des Quodlibets

PAR

Jean HOFFMANS, Professeur à l'Université Coloniale  
et Auguste PELZER, Scrittore à la Bibliothèque Vaticane

QUAESTIO IV

*Utrum dicere quod non potest esse meritum nisi idem et secundum idem primo  
et per se et immediate moveat seipsum vel reducat se in actum sit erroneum.*

Ad tertium sic proceditur et arguitur quod dicere quod meritum non possit esse nisi idem directe et immediate et secundum idem reducat se de potentia in actum realem non sit erroneum; quia dicere contrarium haeresi pessimae non est erroneum; sed illud dictum est contrarium haeresi pessimae; ergo etc. Maior patet. Minor probatur; quia illud dictum est contrarium illi dicto quo dicitur quod voluntas in omni actu movetur ab obiecto

DECIMUM QUINTUM QUODLIBETUM — QUAESTIO IV

21

et non movet se immediate; sed illud dictum est haeresis pessima et tollit omne meritum et demeritum; ergo etc. Adhuc probo minorem istius pro-syllogismi; quia si voluntas movetur ab obiecto in omni actu, tunc voluntas movebitur naturaliter sicut intellectus vel sensus; sed quod sic movetur non habet dominium sui actus; sicut patet de intellectu et sensu quae non habent dominium sui actus; ergo nec voluntas habebit dominium sui actus et peribit liberum arbitrium.

Praeterea. Aut aliquis per eandem rem est activum et passivum, aut per aliam. Si per idem, habetur propositum. Si per aliam, quaero utrum illius alterius sit activum et passivum per idem aut per aliud; si per aliud idem quaero de illo, et ibi in infinitum; si per idem, habetur propositum.

Praeterea. Si dicatur quod voluntas habet dominium sui actus per hoc quod facta in actu movet rationem ad deliberandum et mediante eo movet se ad alia volibilia, contra: quia voluntas non potest movere ad deliberandum nisi per hoc quod vult deliberare; aut ergo in volendo deliberare habuit dominium sui actus aut non. Si sic, ergo in primo actu habet dominium sui actus et per consequens movet se immediate et secundum idem est movens et motum; si non, ergo de necessitate vult movere ad deliberationem et per consequens de necessitate sequitur deliberatio, et finita deliberatione et concluso quod aliquid sit eligendum, de necessitate movebitur ad volendum illud; et sic sequitur quod quidquid voluntas vult, de necessitate, nec sit in aliquo domina suorum actuum.

In contrarium est, quia ponere quod non sit meritum nisi posito impossibile est erroneum, quia hoc est tollere meritum; sed idem secundum idem primo et per se et immediate movere seipsum est impossibile; ergo etc.

Circa istam quaestionem sic procedendum est. Primo ostendendum est quod impossibile est idem et secundum idem primo et per se et immediate movere seipsum; secundo ostendetur quod posito per impossibile quod voluntas primo et per se et immediate moveret seipsam, non mota ab obiecto<sup>1</sup>, minus posset salvari sic ponendo libertas arbitrii quam ponendo quod voluntas mota ab obiecto moveat postea vires apprehensivas ad exercitium actus et mediante motione tali facta in aliis indirecte moveat seipsam ad secundaria volibilia; tertio ostendetur quomodo stat libertas arbitrii cum hoc quod voluntas moveatur ab obiecto; quarto descendendo ad id quod explicite quaeritur in ista quaestione ostendetur utrum dicere quod non possit esse meritum nisi idem immediate moveat et moveatur sit erroneum.

I. — Quantum ad primum non intendo deducere nisi unam rationem, quia multa ad hoc deducta sunt (1), quaero ergo utrum potentiae activae repugnet directe et per se quod sit potentia passiva respectu eiusdem, aut non. Si sic, habeo propositum; quia cum movere conveniat aliter per potentiam activam et moveri per potentiam passivam, impossibile est quod

idem [fol. 244 V<sup>a</sup>] et secundum idem moveat et moveatur. Si autem dicatur quod in nullo repugnat potentiae activae quod sit potentia passiva respectu eiusdem, tunc sequitur quod in omnibus idem et secundum idem poterit esse movens et motum; hoc autem est falsum secundum omnes.

Si autem dicatur quod potentiae activae secundum se non repugnat quod sit potentia passiva in spiritualibus, non autem in corporalibus; contra: probo primo quod hoc est contra mentem Philosophi; secundo quod hoc est contra rationem.

Quod hoc sit contra mentem Philosophi, probo duplici ratione ad nunc.

Prima ratio talis est; quia in VIII *Physicorum* (2) ubi plus tractat istam materiam quam alibi, probat quod idem et secundum idem non potest esse movens et motum, propter repugnantiam potentiae et actus et propter hoc quod potentia activa est actus et facit aliquid esse actu, potentia autem passiva in quantum huiusmodi facit aliquid esse in potentia et non in actu; sed actus et potentia, et esse in actu et in potentia est commune tam spiritualibus quam corporalibus; ergo etc.

Hoc etiam patet esse de mente sua, quia quando dicit quod impossibile est idem et secundum idem esse motum et movens, non dicit quod ista impossibilitas est propter repugnantiam actus et potentiae in corporalibus, sed propter repugnantiam actus et potentiae absolute.

Hoc etiam confirmatur per hoc quod ipse intendit ibi probare quod primum movens est omnino immutabile, et per illam rationem, quia movens secundum illud secundum quod movet non potest esse in potentia passiva; quod si in spiritualibus posset idem esse principium activum et passivum, et secundum idem, sua ratio non concluderet quod primum movens esset omnino immutabile.

Secunda ratio est, quia ipse in tertio *De anima* (3) posuit quod oportebit praeter intellectum possibilem ponere intellectum agentem qui moveret ad intelligendum, videns quod ista materialia non erant sufficientia motiva ad intelligendum. Hoc autem non esset necessarium si in spiritualibus idem et secundum idem et immediate esset principium activum et passivum.

Et si dicatur quod idem absolutum est intellectus agens et possibilis, ut quidam dicunt, et irrationabiliter, debuisset Aristoteles eodem modo ponere quod oportuisset ponere voluntatem agentem et possibilem, quia idem absolutum movet ad volendum et movetur secundum illam viam.

Quod autem hoc sit contra rationem, probo. Ad cuius evidentiam sciendum quod reductio quae est a potentia in actum in corporalibus non differt a reductione quae est a potentia in actum in spiritualibus nisi in duobus, scilicet in hoc quod reductio illa in corporalibus communiter est successiva, in spiritualibus vero est instantanea; illa etiam reductio in corporalibus est,

ut in pluribus, a contrario in contrarium, ut a calido in frigidum, in spiritualibus vero non sic. Si ergo plus repugnat potentiae activae quod sit potentia passiva in corporalibus quam in spiritualibus in reductione illa respectu eiusdem, aut hoc est propter successionem quae est in reductione illa de potentia in actum, aut hoc est quia est de contrario in contrarium. Non primo modo; primo, quia quaedam mutationes [sunt] instantaneae in corporalibus in quibus tamen idem et secundum idem non movet seipsum; secundo, quia successio in reductione in actum vel instantaneitas nullam repugnantiam vel convenientiam important inter potentiam activam et passivam; et per consequens differe secundum intantaneum et successivum nihil facit ad hoc quod potentia activa possit esse passiva vel e converso. Nec secundo modo etiam; primo, quia in corporalibus inveniuntur quaedam mutationes quae non sunt a contrario in contrarium, sicut saltem in illuminatione aëris; secundo, quia etiam in spiritualibus est mutatio ab aliquo actu impossibilem ad aliquem actum impossibilem; quia duo actus intelligendi a quorum uno movetur intellectus in alium sunt impossibiles, alioquin simul starent; tertio, quia cum introducens unam formam in talibus motibus repellat oppositam, illud quod potest reducere in actum formae quae est terminus ad quem, potest abicere oppositam formam quae est terminus a quo. Si ergo aliquid absolute potest per idem reducere se de potentia in actum in accipiendo aliquam formam, eadem ratione poterit per idem reducere se in actum abiciendo oppositam.

Si dicatur quod istud non est propter aliquam differentiam causarum [fol. 244 V<sup>a</sup>], sed quod, quia corporalia sunt minus activa quam spiritualia, ideo in eis potentia passiva non potest esse activa, contra: quia, sicut se habet minus actuale ad agere, ita potentia minus actualis ad hoc quod sit principium agendi; sed ex hoc quod corporalia sint minus actualia quam spiritualia, non sequitur quod non agant simpliciter, alioquin nullum corpus ageret, sed quod non ita perfecte agant. Ergo a simili ex hoc [quod] potentia passiva in corporalibus est minus actualis quam in spiritualibus, non sequitur quod non possit [esse] simpliciter principium activum; sed bene sequitur quod non ita perfecte agat si potentiae passivae secundum quod huiusmodi non repugnat esse principium activum; nec etiam dominium actus hoc requirit, sicut patebit in articulo sequenti; et hoc sufficiat de primo.

II. — Quantum ad secundum articulum, primo intendo ostendere quod ponere quod voluntas moveat seipsam semper, non mota ab obiecto, tollat libertatem arbitrii; secundo ostendam quod ponere voluntatem in quocumque actu movere se immediate minus possit salvare libertatem arbitrii quam ponere quod moveat se mediante consilio et motione rationis; tertio quod tantam difficultatem habent in salvando libertatem arbitrii ponendo quod voluntas in nullo mota ab alio moveat seipsam immediate, sicut ponendo

quod semper moveatur ab obiecto quantum ad determinationem actus, modo quo est expositum, et quod ipsa quantum ad exercitium actus moveat se mediante motu deliberationis facto in ratione.

A. — Primum probo duplici ratione.

Prima talis est. Si voluntas in nullo movetur ab intellectu vel ab obiecto cognito, inclinatio voluntatis in nullo differt ab inclinatione appetitus naturalis; sed per appetitum naturalem nulla res habet dominium sui actus vel libertatem arbitrii; ergo si voluntas in nullo movetur ab obiecto cognito, per voluntatem nullus habet libertatem arbitrii vel dominium sui actus. Minor patet. Maiorem probo; quia omnis inclinatio qua aliquid movetur ad aliquid habendum est ab aliquo per cognitionem intellectivam agente; aut est a casu. Inclinatio autem voluntatis non potest semper esse a casu; ergo causatur ab aliqua cognitione et ab aliquo per cognitionem agente. Aut ergo inclinatio vel motio ipsius voluntatis causatur a cognitione volentis aut a cognitione alicuius alterius extrinseci agentis dantis talem inclinationem voluntati. Si primo modo, sequitur quod voluntas movetur ab intellectu volentis seu ab obiecto cognito; si secundo modo, tunc inclinatio voluntatis est sicut inclinatio appetitus naturalis qui non sequitur cognitionem eius in quo est appetitus, sed cognitionem instituentis naturam, et sic probata est minor.

Si dicatur ad hoc: voluntas in nullo movetur ab obiecto cognito, tamen sequitur cognitionem volentis sicut causa sine qua non (4), contra: primo, ponitur unum falsum, scilicet quod semper requiratur causa sine qua non et de necessitate, cuius oppositum probatum est alias; secundo, quaero utrum sit ita causa sine qua non quod nihil faciat ad effectum istum, sicut si diceretur quod coloratum aedificat, ad quam aedificationem nihil penitus facit color, aut aliquid facit, sicut fodere sepulcrum facit ad inventionem thesauri. Si est causa sine qua non nihil faciens ad effectum, ita posset dici quod aliquis moveretur ad volendum per intellectum sicut per risibilitatem, sed derisibile esset dicere quod aliquis moveretur ad volendum per risibilitatem; ergo si obiectum cognitum est causa sine qua non sic ad volendum, derisibile est dicere quod aliquis moveat se ad volendum per intellectum; et per consequens motio voluntatis non est nisi inclinatio appetitus naturalis. Si autem sit causa sine qua non aliquid faciens ad effectum, quaero in quo genere causae se habet. Constat quod non in genere causae formalis, quia obiectum non est forma actus volendi; nec etiam est causa materialis, quia obiectum non est subiectum in quo recipiatur actus volendi, quia actus volendi et intelligendi sunt solum in voluntate et intellectu ut in subiecto; [fol. 245 R<sup>a</sup>] nec etiam in genere causae finalis solum, quia finis non est quod dirigit, sed in quod inclinatio dirigitur ab aliquo cognoscente, unde finis in eo quod finis non habet facere directionem; sed illud quod per cognitionem movet ad finem et effective se habet; finis autem est illud in quod

aliquis dirigitur. Ergo relinquatur quod si obiectum est causa sine qua non aliquid faciens ad effectum, quod sit causa efectiva in motione voluntatis et quod effective movet voluntatem.

Secunda ratio est, quia omnes concedunt quod homo est liberi arbitrii per intellectum et voluntatem; sed si in nullo voluntas moveatur ab obiecto, impossibile est quod homo sit liberi arbitrii et habeat dominium istorum actuum per intellectum et voluntatem. Ergo qui ponit quod voluntas in nullo movetur ab obiecto tollit libertatem arbitrii. Maior patet per omnes. Minorem <sup>2</sup> probo; quia aut movet se ad volendum per rationem sive per cognitionem et e converso, scilicet quod moveat se ad considerandum per voluntatem<sup>2</sup>; aut ita est quod per voluntatem movet intellectum et non e converso<sup>3</sup>; aut per intellectum voluntatem et non e converso<sup>4</sup>; aut neutrum per neutrum movet. Si primo modo habemus propositum, scilicet ratio vel obiectum cognitum movet voluntatem et voluntas mota movet intellectum quantum ad exercitium actus. Si secundo modo, tunc impossibile est quod homo in aliquo actu volendi habeat dominium sui actus per intellectum et voluntatem, quia nullus per intellectum habet dominium alicuius actus, cuius actus non est causa intellectus. Si tertio modo, habetur primo quod voluntas moveatur ab obiecto, secundo sequitur quod homo per intellectum et voluntatem non habeat dominium sui actus in aliqua consideratione, quia nullus per voluntatem habet dominium alicuius actus cuius causa non est voluntas. Si quarto modo, tunc in nullo actu intellectus vel voluntatis homo habebit dominium sui actus per intellectum et voluntatem, quia non erit dare aliquem actum intellectus vel voluntatis cuius homo sit causa per utrumque. Quando autem dico hominem movere per intellectum et voluntatem, non accipio intellectum et voluntatem pro potentia intellectiva et volitiva, sed pro actibus eorum.

Ex hoc etiam potest efficaciter probari quod homo non habet dominium sui actus in volendo, nisi quando voluntas facta in actu mediante motu deliberationis facto in ratione movet se ad secundaria volibilia, quia homo non habet dominium sui actus nisi per intellectum et voluntatem; sed homo non est causa per intellectum et voluntatem alicuius actus volendi nisi illius ad quod voluntas se movet mediante motu deliberationis facto in ratione; quia illius solius actus voluntas et intellectus sunt causa. Ergo etc.

Sed forte aliquis dicet ad hoc quod in omni actu volendi intellectus est causa sine qua non et nihil tamen agit in voluntate. Sed hoc improbatum est et etiam de se derisibile est.

Aliter solent aliqui (5) dicere, scilicet quod licet intellectus non moveat voluntatem, tamen quia homo est qui intelligit et qui per voluntatem movet se ad volendum, ideo dicitur propter talem coniunctionem quod homo habet dominium actus volendi per intellectum et voluntatem.

Sed hoc nihil est; quia quantumcumque coniungatur intellectus in

homine cum voluntate, vel cum quocumque alio, non potest dici homo aliquid operari per intellectum nisi intellectus sit eius causa; alioquin si homo caderet, simul suum casum intelligens, diceretur cadere per intellectum; ergo quaecumque coniunctio intellectus ad voluntatem non sufficit ad hoc quod homo dicatur habere dominium actus volendi per intellectum nisi intellectus sit eius causa. Aliud enim est quod homo faciat aliquid intelligens, et quod faciat aliquid per intellectum, nam constat quod homo potest sentire intelligens, non tamen potest dici sentire per intellectum.

B. — Modo restat ostendere quod minus possunt salvare libertatem arbitrii ponendo quod voluntas moveat seipsam immediate quam ponendo quod moveatur ab obiecto, [fol. 245 R<sup>b</sup>] et ad hoc adduco duas rationes.

Prima ratio talis est: quanto motor et mobile sunt magis sibi intima, et magis essentialem ordinem habentia, salvata conditione moventis et mobilis, tanto magis necessario sequitur motus et minus potest impediri. Sed si idem potest esse principium activum et principium passivum et movens et motum secundum idem, movens et motum erunt sibi maxime intima et maxime essentialem ordinem habentia. Ergo si ponatur quod voluntas moveat immediate seipsam, motus eius erit maxime necessarius et minime impedibilis, et per consequens minus posset habere dominium sui actus.

Si dicatur quod ratio procedit in principio activo quod est determinatum ad movendum, sicut est in naturalibus, non autem veritatem [habet] in principio quod est indifferens ad movere et non movere, sicut est in spiritualibus, quaero a te a quo habet istam indifferentiam quod in potestate sua sit movere et non movere. Aut ex hoc quod principium activum est idem quod passivum, aut ex hoc quod est spirituale, aut ex utroque. Non ex primo; quia magis haberet necessitatem quam indifferentiam ad movendum propter maiorem intimitatem et propter maiorem essentialem ordinem moventis et mobilis. Si propter secundum tantum, ad hoc quod aliquid sit indifferens ad movendum et non movendum, non requiritur quod idem sit principium activum et passivum, sed sufficit quod principium activum sit spirituale et abstractum, et similiter principium passivum. Si dicatur quod per utrumque, contra: quia illud quod per se facit ad maiorem necessitatem in motu, additum alteri non facit indifferentiam ad movendum; sed, sicut ostensum est, identitas principii activi et passivi, si possibilis esset, facit maiorem necessitatem in motu; ergo identitas principii activi et passivi additum ad spirituale non poterit esse causa indifferentiae ad movendum, imo, ut videtur, oppositum, scilicet diversitas principii activi et passivi magis facit ad causandum indifferentiam in motu. Hoc etiam satis patet de se; quia si ponatur quod voluntas mediante deliberatione moveat se ad secundaria volubilia in quibus habet dominium actus, cum multa impedimenta possint intervenire antequam concludatur aliquod eligibile sufficiens ad movendum voluntatem,

potest ostendi qualiter talis processus est multipliciter impedibilis, quod non potest ostendi ponendo quod voluntas immediate moveat seipsam.

Ad evidentiam secundae rationis sciendum quod aliquid potest habere indifferentiam ad plura et active et passive. Passive, sicut aqua potest calefieri et non calefieri, et de tali indifferentia passive sic dicta non loquimur hic, quia hic loquimur de indifferentia secundum quam in potestate hominis est movere se ad illos actus quorum habet dominium. Alia est indifferentia accepta active, sicut ignis potest calefacere et non calefacere; et in tali indifferentia quaedam sic se habent quod talem indifferentiam non habent a se, sed ab alio, sicut ignis non habet a se quod possit non calefacere, imo semper de necessitate habet calefacere quantum est ex parte sua; alia autem sunt quae talem indifferentiam habent a se.

Ad cuius evidentiam sciendum quod causalitas alicuius potest se extendere ad multa dupliciter. Uno modo, copulative, sicut sol potest generare plura, vel illuminare, et calefacere et similia, non sub indifferentia, sed copulative, quia de necessitate sol facit omnia illa simul, dummodo non sit impediens. Alio modo aliquid se extendit ad plura, non copulative, sed sub indifferentia quadam, et ista indifferentia in moventibus habet primo ortum ab aliquo universali; unde sicut bonum in universali non continet sub se copulative hoc vel illud bonum, sed sub quadam indifferentia, ita etiam bonum sic acceptum non movet intellectum vel voluntatem ad iudicandum de hoc vel illo vel ad volendum hoc vel illud; unde ex hoc quod aliquis vult bonum de aliqua re, non oportet quod necessario moveat se ad quaerendum hoc bonum in [fol. 245 V<sup>a</sup>] particulari vel illud; illud autem quod movet non in virtute talis obiecti universalis, sed secundum entitatem suam particularem, tale universale non prae habens, videtur movere necessario et determinate ad aliquod unum et indifferentiam non habere. Ex quo videtur quod habere indifferentiam in se ad multa prosequenda non conveniat nisi ei quod per talem praeconceptionem universalem movet.

Ex his potest formari talis ratio: illa positio quae minus potest salvare quod homo se moveat per conceptionem alicuius universalis ad aliquid volendum vel prosequendum minus potest salvare libertatem arbitrii; sed illa positio quae ponit quod voluntas nullo modo movetur ab intellectu sive obiecto est huiusmodi; ergo etc. Minor patet; quia si homo movet se per voluntatem et voluntas in nullo moveatur ab intellectu vel obiecto, homo in tali motione non se movet per conceptionem alicuius universalis obiecti. Maior probatur; quia illa positio quae minus potest salvare quod homo in movendo se ex se habeat indifferentiam ad multa minus potest salvare liberum arbitrium. Et hoc de se patet; quia libertas arbitrii est potestas secundum quam aliquis se habet in movendo se sub quadam indifferentia ad multa; sed illa positio quae minus potest salvare quod homo moveat se per dictam conceptionem universalem minus potest salvare quod homo in movendo se

habeat ex se indifferentiam ad multa; ergo illa positio quae minus potest salvare quod homo per talem conceptionem universalem se moveat minus potest salvare libertatem arbitrii; et sic patet maior.

Tertia ratio est talis: illa positio quae non plus potest salvare libertatem arbitrii in actu secundo quam primo et in actu deliberato quam subito minus potest salvare libertatem arbitrii quam illa quae hoc potest facere. Sed illa positio quae ponit quod per hoc quod homo est liberi arbitrii, quod voluntas in nullo mota ab alio movet seipsam immediate non potest plus salvare libertatem arbitrii in actu primo quam secundo vel in actu deliberato quam subito; quia in omnibus voluntas pari passu se movet; illa autem positio quae ponit quod homo non habet liberum arbitrium nisi per hoc quod mediante deliberatione rationis homo movet se ad secundaria volubilia potest magis salvare dominium actus et libertatem actus in actu secundo quam primo et in actu deliberato quam subito; ergo etc.

Et ex hoc eodem etiam sequitur, sicut dictum fuit supra, quod omnis complacentia quantumcumque subita in eis quae sunt de genere suo peccata mortalia essent peccatum mortale.

Ex hoc etiam videtur sequi quod angelus et homo in primo instanti suae creationis potuit peccare; quia tunc potuit habere actum volendi et voluntas tunc potuit se movere; et si voluntatem se movere est ponere habere dominium actus, tunc potuit habere dominium sui actus. Omnis autem voluntas creata, non confirmata in bono pro tempore in quo habet dominium sui actus, sicut potest mereri, ita et peccare; ergo etc.

Si dicatur ad hoc quod voluntas in primo actu, licet moveat se, non tamen habet plenum dominium sui actus, quia non potest movere se nisi praesente obiecto ut causa sine qua non, quia sibi tunc non offeruntur, non potest se per indifferentiam movere ad multa, non valet eis, quia saltem ipsi dicunt quod voluntas quocumque oblato habet in potestate sua movere se vel non movere, et per consequens semper in omni actu habet plenum dominium sui actus secundum dicta ipsorum, et ulterius per consequens in omni actu habet plenam rationem meritorii vel demeritorii.

C. — Modo, tertio ostendo quod non plus possunt salvare libertatem arbitrii ponendo quod voluntas moveat se immediate quam ponendo quod moveat se mediante motu deliberationis; quia voluntas nihil appetit nisi iudicatur esse malum vel defectuosum; unde etiam qualitercumque sit de causalitate quantum ad existentiam, omnes concedunt quod si est malitia in voluntate, est error in ratione et e converso. Ex hoc sic arguo: [fol. 245 V<sup>o</sup>] nullus habet in potestate sua acceptare aliquid vel respuere nisi habeat in potestate sua quod aliquid iudicetur bonum vel malum. Sed illi qui ponunt quod voluntas movet se mediante deliberatione rationis ita bene vel melius possunt salvare quod in potestate hominis sit habere iudicium de aliquo

quod sit bonum vel malum, sicut illi qui ponunt quod voluntas in nullo mota ab obiecto movet se in bonum vel malum ostensum. Ergo etc.

Praeterea. Illae positiones quae aequaliter ponunt necessitatem in actu voluntatis aequaliter ponunt vel tollunt libertatem arbitrii. Sed si hoc ponatur quod bonum ostensum moveat voluntatem, sive ponatur quod voluntas moveat se in illud, aequalis necessitas ponitur in actu voluntatis in acceptando vel respuendo, quia non potest acceptare nisi quod iudicatur bonum, nec respuere nisi quod iudicatur malum vel defectuosum. Ergo utraque positio aequae salvat libertatem arbitrii.

Si dicatur quod non, quia licet non possit respuere illud quod iudicatur esse bonum, potest tamen non velle per hoc quod movet se, non valet; primo, quia supponit quoddam valde dubium, scilicet quod voluntas, existente perfecto iudicio rationis de aliquo eligendo, possit non velle; secundo, quia saltem quidquid sit de dominio super velle et non velle, tamen quantum ad habendum in potestate sua respuere vel acceptare, tantum salvat libertatem arbitrii una sicut alia; tertio, quia nihil est dicere quod voluntas habeat in potestate sua non velle sive non exire in actum volendi vel agendi, sicut supra deductum fuit. Si autem est in potestate sua non velle aliquid agendo, hoc non est nisi quia potest removere rationem ab aliqua consideratione mediante suo actu volendi vel impellere rationem ad considerandum quod bonum est non velle; et hoc est ponere quod voluntas non habet dominium sui actus nisi per hoc quod potest movere se mediante deliberatione et non per hoc quod potest movere se immediate, quod est nostrum propositum; et sic patet de secundo principali.

III. — Quantum ad tertium principale, scilicet quomodo stat libertas arbitrii cum hoc quod voluntas moveatur ab obiecto, sciendum quod homo ex quatuor habet libertatem arbitrii.

Primum et prima radix est universalitas obiecti quod primo occurrit, et quod est principium agendi in agibilibus; nam illud in quod primo et necessario movetur voluntas est bonum in communi, non autem hoc bonum particulare quod est vel mœchari vel habere uxorem vel aliquid tale. Et ex hoc sequitur quod, quando aliquid occurrit homini, puta mulier vel servitium divinum vel aliquid tale, non oportet quod statim appetat illud prosequi, sed natum est sibi semper occurrere quod velit illud quod sibi expedit de re occurrente, et ideo etiam natum est sibi occurrere quod sit standum donec deliberet quid sit illud. Si autem obiectum eius per se primum et necessarium esset hoc bonum particulare vel illud, sicut appetitus brutalis, ita voluntas moveretur de necessitate in quodlibet bonum particulare propositum.

Secundum a quo homo habet libertatem arbitrii est immaterialitas suarum potentiarum, scilicet voluntatis et intellectus, ratione cuius natae sunt habere obiectum universale et ratione utriusque natae sunt reflecti

super suos actus, et voluntas velit se velle et intellectus intelligat se intelligere.

Tertium est quod voluntas vel magis homo per actum volendi movet alias potentias ad exercitium actus. Semper enim appetitus habentis cognitionem per actum appetendi impellit membra et vires subiectas appetitui ad prosecutionem eius quod appetitur, sicut brutum movet pedem vel manum ad habendum illud quod appetit; et sic etiam homo per actum volendi movet intellectum ad intelligendum et phantasiam ad phantasiandum et alias vires imperio eius subditas. Unde homo in primo actu quo movetur ad intelligendum et volendum non movet [fol. 246 R<sup>a</sup>] se, sed magis movetur, scilicet ab objecto; sed quando iam factus est in actu volendi quod vult movere se, vel impellere vires suas ad actus suos, tunc incipit se movere, et quia in voluntate perficitur principium activum quo movet se sic homo, movere magis attribuitur voluntati quam intellectui, licet utrumque concurrat ad movendum; et quia nullus habet dominium sui actus nisi active aliquo modo se habeat ad illud, ideo dicitur quod libertas arbitrii complete est in voluntate, licet sit radicaliter in intellectu.

Quantum quod facit libertatem arbitrii est indifferentia quam habet ratio ad opposita in agibilibus, quae indifferentia provenit ex universalitate objecti una cum diversis conditionibus rerum, puta servire Deo potest iudicari ut bonum in quantum est meritum vitae aeternae et ut fugibile in quantum est poenale vel gravativum corporis et sic de aliis. Sic ergo homo et per hoc quod per voluntatem dicto modo potest se movere per alias vires ad exercitium actus et per hoc quod principium per quod movet est quoddam universale indifferentiam habens ad multa, habet in potestate sua movere se ad hoc vel ad illud; et ulterius quia potest reflecti super suos actus propter immaterialitatem suarum potentiarum non solum potest per voluntatem movere se ad ambulandum vel considerandum, sed etiam ad volendum in quantum homo ex intentione potest se movere ad inquirendum quid sibi expedit velle vel non.

Unde sciendum quod homo per hoc quod movet se per tale principium universale dupliciter habet dominium sui actus. Primo quia per hoc quod movet se per tale principium universale in movendo habet indifferentiam ad multa et natus est sistere quousque deliberet. Secundo quia ex hoc quod movet se per tale principium universale, quia scilicet vult tendere in illud quod sibi expedit et inquirere quomodo tendat, ea quae durante tali deliberatione occurrunt et nata sunt inclinare voluntatem potest repellere, ut si homini deliberanti quam vitam teneat occurrat vel mulier vel aliquid delectabile vel aliquid tale, potest per illud principium talia a se repellere, et si non repulit imputandum est sibi. Et si quaeratur quid est in causa quod non repellat, dicendum quod infinitae possunt esse causae per accidens talis accidentis, quarum tamen nulla est simpliciter necessaria, puta negligentia deliberandi, vel delicata vita, vel occupatio exteriorum, nec in talibus est

quaerenda aliqua una causa per se et necessaria, quia dari non potest, quia non habent nisi causam per accidens et non necessariam.

Ex his potest patere quomodo homo per voluntatem habet dominium sui actus et tamen voluntas moveatur ab objecto; quia cum in potestate voluntatis sit per principium praedictum universale proponere haec vel illa objecta secundaria volibilia in quibus solis est homo simpliciter dominus sui actus et repellere objecta occurrentia, ideo motio quae est ab objectis talibus est etiam in potestate voluntatis, propter quod homo per voluntatem una cum intellectu potest habere dominium sui actus, non obstante quod voluntas moveatur ab objecto. Et hoc sufficiat quantum ad tertium.

IV. — Quantum ad quartum principale, sciendum quod, ubi constat de intellectu alicuius secundum veritatem fidei sic scilicet quod manifestum est quod secundum fidem non potest aliter teneri, ille sensus omnino tenendus est; si autem non sit manifestum utrum ille intellectus sit secundum veritatem fidei et possit illud diversimode exponi, videtur quod semper laborandum est ad talem expositionem faciendam secundum quam salventur apparentiae. Unde si aliquis vellet exponere sacram scripturam quam teneamus ex fide continere meram veritatem, sic quod secundum illam expositionem illa quae apparent ad sensum non possent salvari, imo oporteret ea negare, cum veritas fidei non contrarietur veritati rerum sensibilium, licet eam excedat, talis expositio deberet iudicari erronea et fatua; sicut si aliquis illud verbum psalmi (6): « aquae quae super coelos sunt laudent nomen Domini » vellet exponere sic quod intelligatur de aquis elementaribus [fol. 246 R<sup>b</sup>] quae sint eiusdem rationis cum eis quae sunt apud nos, et quod illae aquae sint animatae ad laudandum Dominum, talis expositio deberet iudicari erronea et falsa. Si autem ita est quod dubium sit utrum cum expositione quae datur salventur apparentiae et utrum illud quod assumitur ad salvandum apparentiae repugnet intellectui fidei aut non, ita quod de neutra parte constat evidenter, neutra pars debet haberi pro haeretica nec pro erronea; et asserere alteram partem in tali casu esse haeticam vel erroneam est temerarium et puniendum; sicut si ad salvandum illud dictum quod aquae sunt super firmamentum, aliquis velit exponere quod non intelligitur de aquis proprie dictis, sed de corpore habente conditionem aquae in diaphonitate et alius velit exponere quod accipitur ibi firmamentum pro medio intersticio aëris et aquae pro aquis pluvialibus quae ascendunt quandoque super medium intersticiu aëris per quamdam evaporationem, neutra expositio debet dici erronea, et asserere hoc ante determinationem ecclesiae vel evidentem demonstrationem esset temerarium.

Descendendo ergo ad id quod quaeritur, dico quod, cum omnes firmae fide debeant tenere hominem esse liberi arbitrii et habere dominium suorum actuum, si est certum quod impossibile est idem et secundum idem moveri

et movere, dicere quod non posset homo esse dominus suorum actuum nisi hoc accidat esset erroneum; quia hoc dicere est ponere quod libertas arbitrii non possit esse nisi posito impossibili; et e contrario si constaret pro certo quod libertas arbitrii non posset salvari nisi posito quod idem et secundum idem moveret et moveretur, dicere quod idem et secundum idem non posset movere et moveri<sup>4</sup> esset erroneum. Si autem dubium est, nec est evidenter certum utrum ad salvandum libertatem arbitrii requiratur quod idem et secundum idem moveat et moveatur et immediate vel quod requiratur quod secundum diversa vel saltem probabiliter potest apparere quod sufficit ad salvandum dictam libertatem quod aliquid moveatur et moveat se per diversa et mediate, sicut fuit determinatum probabiliter, asserere alteram partem esse haeticam vel erroneam est temerarium et puniendum. Unde etsi alicui liceat dicere quod videtur sibi secundum rationes suas quomodo possit salvari libertas secundum istam vel secundum illam, tamen non licet sibi asserere aliam viam esse haeticam, et ille modus qui magis potest salvare apparentia magis tenendus est. Unde licet secundum rem et veritatem credam quod ponere quod libertas arbitrii non potest salvari nisi ponatur quod idem et secundum idem et immediate moveat se sit falsum et erroneum, tamen non assero quod illa positio sit haetica vel erronea, supposito quod non evidenter constet de falsitate eius. Et sic patet ad quaestionem.

Ad primum ergo in oppositum dicendum quod in prima motionem voluntatis et intellectus, motio est naturalis et quantum est de se necessaria, sicut et in motionem sensus; sed in motionem qua homo factus in actu volendi inquirere quid sibi expedit, non est naturalis ita quod sit necessario determinata ad unum quod per illud principium potest se movere ad diversa et, ut dictum est, sub quadam indifferentia; in motionem autem quae postea sequitur secundum quod obiecta secundaria praesentata movent voluntatem, est quoad aliquid modus naturae quoad aliquid, et quoad aliquid non; nam quantum ad hoc quod hoc obiectum vel illud teneatur vel praesentetur vel quantum ad hoc quod illa quae occurrunt repellantur vel non repellantur, non est ibi modus naturae qui est esse determinatum de necessitate ad unum; sed quantum ad hoc quod, finita deductione et concluso quod tale obiectum est omnino prout nunc volendum obiectum, stante hypothesis, moveat voluntatem, habet modum naturae et ex hoc non tollitur indifferentia ad multa et libertas arbitrii propter praecedentem motionem; sicut quando aliquis applicat ignem ad aquam non habet necessariam determinationem ad unum in quantum potest [fol. 246 Va] applicare ignem vel aliud, vel applicare vel non applicare eum, sed igne applicato, quod calefaciat habet modum naturae nec potest determinate non calefacere vel non esse determinatum ad calefaciendum, stante hypothesis.

Ad secundum dicendum quod nec agens voluntarium nec agens naturale est per idem movens et motum sed per diversa, et quando dicitur quod ad

illam dispositionem per quam movet se, aut movet se per idem aut per diversa, dicendum quod neutro modo oportet; quia ad primam volitionem per quam homo movet se, non movetur homo a se, sed ab exteriori, ab obiecto; et ideo falsum supponebatur, scilicet quod oporteret quod moveret se ad illam dispositionem per quam habitam movet se per idem aut per diversa.

Ad tertium dicendum quod<sup>5</sup>, dato quod non esset in potestate hominis velle inquirere quid sibi expedit vel velle deliberare sed necessario hoc vellet, adhuc non sequitur quod moveret se necessario ad hanc deliberationem vel illam; sicut enim deliberare de expediendi non infert necessario considerare rem ut tristem vel honestam vel aliquo tali modo, sic etiam nec velle deliberare de expediendi de necessitate movet ad considerationem hanc determinatam vel illam; imo statim occurrit homini quod sistendum est quousque per diversa discurrat, et ideo illud principium est sibi principium movendi se ad multa sub indifferentia quadam et per illud potest repellere ea quae occurrunt talem processum impediunt; unde etiam et homo experitur in se quod, quando dicit in se per intellectum: videamus quam partem debeamus tenere, suspenditur eius animus nec necessario tendit in determinatam partem quousque diversa videat; quem processum quandoque impediunt occurrentia quae potuerunt repelli per illud principium.

Idem etiam potest quaeri ab adversariis; quia, cum anima moveat se per voluntatem quam constat quod habet a causa extrinseca scilicet a Deo, si propter hoc quod necessario causatur cum voluntate, voluntas necessario causata habeat habitudinem necessariam ad actus suos, sequitur quod, sicut in hoc quod movetur ad dispositionem quae est voluntas, non habet dominium illius motus, ita etiam nec quando movet se postea per voluntatem, habebit dominium suorum actuum. Si autem cum hoc quod movetur necessario ad dispositionem quae est voluntas stat quod per voluntatem sic habitam libero arbitrio se moveat, non videtur quin possit stare quod, dato quod ad primam volitionem necessario moveatur, quin possit per illam volitionem libero arbitrio se movere ad sequentia. Et sic patet ad quaestionem et ad rationes.

<sup>1</sup> L: posses. — <sup>2</sup> L: minore. — <sup>3</sup> L: quia. — <sup>4</sup> L: movere. — <sup>5</sup> L: add. quod.

(1) GODEFRIDUS DE FONTIBUS, *Quodlib.* VI, q. 7 (éd. M. DE WULF et J. HOFFMANS, dans *Philosophes Belges*, t. 3, Louvain, 1914, p. 170). — (2) ARISTOTELES, *Physica* Θ, 5 (I, 257a 31-34 257b 1-13). — (3) ARISTOTELES, *De anima* Γ, 4 (I, 429b 23-430a 9), éd. G. BIELH, Leipzig, 1896, p. 85. — (4) HENRICUS DE GANDAVO, *Quodlib.* I, q. 14 (éd. Venise, 1608, f. 17 Va); q. 17 (*ibid.*, f. 23 R<sup>b</sup>-23 Va); PETRUS DE FALCO O. F. M., *Quaestiones disputatae: utrum voluntas creaturae spiritalis sit libera virtute propria vel virtute rationis* (Bruges, *Bibl. comm.*, 185, f. 60 Va; cf. *ibid.*, f. 11 R<sup>b</sup>-11 Va); ROGERUS MARSTON O. F. M., *Quaestiones disputatae: utrum voluntas deliberativa cogatur ab obiecto* (éd. Quaracchi, 1932, p. 439, 447); HENRICUS DE GANDAVO, *Quodlib.* IX, q. 5 (Venise, 1608, f. 82 V<sup>b</sup>). — (5) RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros sententiarum Quaestiones* (In II Sent., dist. 38, art. 2, q. 3; Brixiae, 1591, p. 468). — (6) Ps. 148, 4-5.